Dissertatio medica, inauguralis, de dysenteria ... / Eruditorum examini subjicit Nicholaus Archer.

Contributors

Archer, Nicholaus.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1785.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/d4z3xwcn

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

14

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE DYSENTERIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

NICHOLAUS ARCHER,
HIBERNUS,
Soc. Reg. Med. Ed. Sodalis.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M.DCC.LXXXV.

Viro erudito

CLEMENTI ARCHER, M. D.

Dublinii;

Medendi artem quondam feliciter exercenti;

Propter amicitiam atque beneficia

In ſe, ſuoſque collata;

Hanc Diſſertationem,

Ea, qua par eſt, obſervantia

Dicat

NICHOLAUS ARCHER

Viro erudito

CLEMENTI ARCHER, M.D.

Dublinii;

Medendi artem quondam feliciter exercenti;

Propter amicitiam atque beneficia

In fe, fuoque collata;

Hanc Dissertationem,

Ea, qua par est, observantia,

Dicat

NICHOLAUS ARCHER

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

AUCTORES omne profluvium per canalem inteſtinalem, praecipue ſi quid ſanguinis fuerit emiſſum, dyſenteriam appellarunt. Hoc vero, ut minus accuratum, paginis in ſequentibus, quantum fieri poteſt, evitare conabor. Primum omnium igitur, poſita definitione illius a celeberrimo Doctore Cullen in lucem edita, hiſtoriam morbi aggrediar.

DEFINITIO MORBI.

'Pyrexia contagiosa, dejectiones fre-
'quentes, mucosae vel sanguinolentae, re-
'tentis plerumque faecibus alvinis; tor-
'mina; tenesmus.'

HISTORIA.

Autumno primo, plerumque, dysenteria accedit, et interdum formam perquam obscuram assumit; nonnunquam lenis diarrhoea, levisque tenesmus, adventum ejus praemonent; saepius autem prius invadunt frigus, horrorque, quos excipit calor, et quibus omnibus, anorexia, nausea, atque vomitus superveniunt. Febris insequens forma est varia; interdum scilicet inter-

intermittentis, vel remittentis, ſaepius vero continuae, typum induit; nunc ad inflammationem, nunc ad putredinem proclivis; exemplis in quibuſdam, febris vix percipi poteſt, et interdum, poſtquam morbus aliquantum temporis duravit, ex toto evaneſcit; unde, ni fallor, Doctor Akenſide ullam febrem dyſenteriae ineſſe omnino denegare fuerit inductus. Quocunque modo incipiat hic morbus, cito ſibi propriam ſpeciem induit; ſub initio, faeces eaedem ac ſolito, ſed, morbo provectiore, nihil praeter materiam albam mucoſam, plus minuſve ſanguinolentam, evacuatur; ſanguis enim per mucum, modo paſſim ſeſe oſtendit, modo totum tingit, et aliquando ipſe etiam purus ac perquam copioſe dejicitur; alvum frequentius exonerandi neceſſitas aegrotum miſerum exercet, et faeces perexiguae tantum excernuntur; torminibus diris praecedentibus, ac teneſmo ſuccedente; quae, morbo in longitudinem protracto, ſaepe ani prolapſum inducunt; interdum, poſt tormina acuta, faeces parvae,

vae, rotundae, durae ejiciuntur; exinde aeger, doloris levamine, neutiquam diuturno, fruitur; materia ſebacea, nec non ſaepe purulenta, filamenta membranacea, ut et tandem ipſorum etiam inteſtinorum portiunculae, aliquando excernuntur; per totum morbi ſpatium, plerumque multum deficiunt vires, ſitis extat inſignis, aret cutis, aegre redditur urina, aut quidem omnino coercetur.

Quae jam diximus, ſpeciei hujuſce morbi mitiſſimae, propria eſſe videntur. Quum vero admodum gravis eſt, febris acerbior fit, et tunc omnia in pejora ruunt; augetur debilitas, ſaepeque accedit animi deliquium; faeces nigrae dejiciuntur, magiſque faetidum odorem emittunt, et aphtharum cruſta linguae obducitur; dolores diminuti, pulſus arteriarum parvi et intermittentes, delirium, ſingultus, extremorum corporis frigus, gangraenae notae, mortem inſtare manifeſte indicant.

Ægrotus,

Ægrotus, diuturnitate hujus morbi, pene exhauſtus, tarde convaleſcit, et profecto, niſi admodum cautus ſit, non ſine maximo periculo eſt in eundem relabendi. Diarrhoea pertinax, et nonnunquam hydrops, morbo ſuccedunt.

Dyſenteria, prae caeteris morbis acutis, ſpatium varium incertumque habet; ſi adſit febris, haec raro ad longitudinem producitur; at, ſi illa fugerit, caetera ſymptomata multos per menſes perſtare ſolent; nonnullis in exemplis, morbus ſua ſponte ceſſat, frequenti alvi dejectione, torminibus ac teneſmo paulatim recedentibus: In aliis, diuturnus eſt modicis ſymptomatis, inque diarrhoeam deſinit.

CADAVERUM SECTIONES.

Cadaveribus inſpectis hoc morbo confectis, inteſtina magna ſubnigra ac ſpecie putrida

trida (rectum praecipue et pars coli inferior) tunicae praeter naturam denſae, et a parte interna ulceratae, reperta ſunt; interdum quoque tumores, colore rubriore, quam prae ſe ferre ſolent inteſtina, forma quaſi rotunda, variolaeque puſtulis, ſub morbi criſin, ſimillimi; hi in inteſtinis tam frequentes, quam in cute, variolarum puſtulae numeroſae ſemet oſtendunt. Inſuper, tubercula ſchirroſa, compluribus in locis, coli cavitatem coarctant.

DIAGNOSIS.

Diarrhoea morbus ſolus eſt, quem inter et dyſenteriam dignoſcere quodammodo difficile ſit. Horum ſymptomata adeo inter ſeſe ſunt conſimilia, ut auctores de iis tractantes, et hanc et illam, ejuſdem morbi varietates exiſtimarunt.

Diarrhoea nunquam, dyſenteria plerumque, ac ontagio proficiſcitur.

Diar-

Diarrhoeam perraro pyrexia, excretiones alvinae ſanguine admiſtae, aut tormina et teneſmus tam violenta quam dyſenteriam, comitantur. Quinetiam his excretionibus, praeterquam quod multo copioſiores, quam in dyſenteria, ſcybalorum forma non eſt. Haec diſcrimina adeo apud omnes conſtant, ut hic morbus a diarrhoea ſat dignoſci poſſit.

C A U S Æ.

De cauſis variis, quae dyſenteriam producunt, vel producere tendunt, quia neutiquam accurate a ſcriptoribus recenſitae ſunt, vix quidquam certi habere poſſumus; quae tamen, de hac re, veriſimillima mihi viſa ſunt, in duo capita, alterum, cauſas praediſponentes, alterum excitantes, continens, conjeci.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Quicquid corpus univerſum, ac maxime inteſtina, debilitat, mortales quoque ad hunc morbum proclives reddit. Sic, diarrhoeae obnoxii, et poſt aliorum morborum impetum convaleſcentes, ei maxime opportuni ſunt. Ad hoc, quicquid ſpiracula cutis, uti frigoris et caloris vices ſubitae, occludit; eoque magis, ſi his adjunguntur, mador, corporiſque ſordes, idem praeſtat.

Auctores hujus propenſionis cauſas alias memorant, quas, me judice, fundamento parum ſtabili innitentes, praetermitto.

Proclivitas ad hunc morbum, aeque ac ad alios morbos a contagione ortos, ſaepe obſcura, nec facile percipi poteſt.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

Dyſenteriam morbum contagioſum eſſe, auctores plurimi conſentiunt; et quidem plerique horum, rem haud dubie ita ſe habere, invicte demonſtrarunt. Quapropter, contagio una cauſa, et, ut credo, frequentiſſima, dyſenteriae habenda eſt, ita illam ſolam eſſe non pauci exiſtimarunt; talem vero ſemper illius originem inveſtigare nequimus, quoniam interdum ſporadica eſſe videtur. Idcirco, haud parum veriſimile eſt, alias quoque cauſas, ad eam gignendam, vim ſuam praebere.

Dyſenteriam a paludum miaſmatis oriri, haud improbabile eſt; quia in iiſdem plagis, iiſdemque temporibus anni, ac febres huic cauſae attributae, graſſatur.

Eques Joannes Pringle ex propria obſervatione affirmat, quod, ſi quamplurimi ho-

mines, causae excitanti febrium illarum, quae originem a miasmatis ducunt, objiciuntur, pars hisce, pars altera dysenteria, atque tertia morbo, nec hoc, neque illis, sed ex utroque composito, corripientur.

Dysenteria saepe cum febribus intermittentibus et remittentibus conjungitur; observationes Hoffmanni, Huxhami, Degneri, Roedereri, et Cleghorn, hanc rem indubitatam reddunt.

Nonnunquam dysenteria in febres intermittentes et remittentes, et vice versa, desinit.

Interdum corticis Peruviani usu sanata fuit, quod Doctor Cleghorn, in dysenteriis Minorcae, experientia probavit.

His omnibus rite perpensis, hunc morbum ab eadem causa, ac febres intermittentes, oriri posse, forsan concludere licebit.

Frigus

Frigus admotum, causam esse dysenteriae excitantem, celeberrimus Cullen memoravit; utrum vero, necne, ad morbum creandum valeat, nisi contagione speciali in corpus recepta, multum ambigit.

Idem clarissimus, effluvia, a substantiis animalium maxime putridis orta, cito canalem alimentarium afficere, saepeque diarrhoeam producere, observavit; sed an dysenteriam genuinam efficiant, minus compertum habet.

Auctores multi in sententiam ivere, a comesto nimio fructu immaturo, aut poculis liquoris non perfecte fermentati immodicis, quale mustum, cerevisia mustea, pomorum succus, &c. hunc morbum oriri; haec certe diarrhoeam progignunt, an unquam dysenteriam, addubitandum.

CAUSA PROXIMA.

Sententia clar. Prof. Cullen de causa hujus morbi proxima omnibus, quae hactenus

tenus in medium ſunt prolata, magis veriſimilis mihi videtur, tum quia melius ſymptomata explicat, tum quia optimam methodum medendi docet. Illo itaque auctore, contractiones ſpaſmodicas multarum inteſtinorum partium, praecipue autem coli et recti, dyſenteriae cauſam eſſe proximam, eaſque contractiones, pro ſtimulo et inteſtinorum irritabilitate, frequentiores, magiſque violentas eſſe, credere adducor. Extare conſtrictionem coli, ſcybala, ut opinor, quodammodo probant; attamen ſectis cadaveribus, quae huic morbo praedae fuere, idem clarius evadit.

Materia contagioſa in corpus recepta plane in inteſtina agere videtur; caeterum, ſive prius in corpus recepta, atque inde in inteſtina perveniens, ibi ſuum praeſtat effectum, non ſecus ac in cute variolae materia, ſeu potius immediate inteſtina afficit, dijudicare vix poſſumus. Itaque, ratio qua contagio, vel cauſa mali, quaecunque demum fuerit, conſtrictiones inteſtinorum

primo

primo effecerit, haudquaquam evidens eſt; ſed luculenter conſtat, ſcybala et materiam acrem, quae in inteſtinis adeſt, eorum conſtrictionem per ſuum ſtimulum et aucturam et perpetuaturam.

RATIO NONNULLORUM SYMPTOMATUM.

Tormina; faecibus retentis, ſcybaliſque inde ortis, efficiuntur, acrimonia quorum aucta, inteſtina jam irritabilia, admoto ſtimulo, irritabiliora fiant neceſſe eſt; quibus rebus dolores acuti exoriuntur.

Teneſmus, a ſumma partium ſenſibilitate, quam, contactu acrium humorum irritatio efficit, oriri videtur; eoque magis afficiuntur, quo, inter morbum, proprium mucum, cujus ab hujuſmodi irritationibus eſt tueri, amittunt; quaedam forſan materiae acres,

in

in ipſius recti plicis, ad eum efficiendum conferunt.

Scybala, faecibus in inteſtinis diu retentis, colique ſpaſmis, formantur.

Faeces ſanguineae, ob rupta quaedam parva inteſtinorum vaſa, eſſe poſſunt, ac forſan propterea quod haec ipſa acribus ſuis faecibus roduntur.

Sitis, cutis et linguae ariditas. Calori aucto, nec non fortaſſe ſecretioni propriorum humorum deficienti, ob derivationem humorum inteſtina verſus factam, attribuenda.

PROGNOSIS.

Hujus morbi, ſine periculo, exemplum fere nullum; veruntamen, remediis idoneis

neis tempeſtive adhibitis, raro funeſtus evadit. Quo certior fiat prognoſis noſtra, attentionem febris profluviique ſtatui convertere oportet.

Status febris, qui exitum morbi infauſtum indicat, ac febrium typi typhoidis idem eſt.

Profluvii ſymptomata periculum minantia poſthac memorabuntur.

Caloris, ſitis, torminumque levamen, alvi dejectiones copioſiores minuſque crebrae, diaphoreſis in cute lenis, quantitas urinae naturalis nec ullo modo obſtructa, finem morbi fauſtum fore ſuadent. Dixerunt quidem, cum linguae mucus diſcedere coepit, tunc vim morbi diminui fas eſſe credere.

Si faeces naturales dejiciuntur, redeunte cibi deſiderio, pulſuque moderato, aegrotum

tum cito in ſanitatem redigendum, ſperare licet.

Mortalibus, quibus corpora infirma atque tenera, quam quibus firma et robuſta, dyſenteria periculum majus minatur. Sydenhamus hunc morbum in pueros eſſe leniſſimum, infeſtiſſimum vero adultis, notat; quod cum jam dictis diſcrepare videtur, ſed eum ſolummodo dicere de pueris robuſtioribus, admodum veriſimile eſt.

Si hic morbus foeminam gravidam adoritur, periculum ingens imminet; enimvero abortum atque menorrhagiam producit.

Cum pyrexia, dyſenteriam comitans, violenta eſt, ſymptomata putrida cito acceſſura expectare licet, ſaepeque morbus, ſignis omnibus gangraenae ſupervenientibus, paucos inter dies exitum funeſtum habet; ſed, contra, ſi febris mitis ſit, ſaepe per menſes durat.

Si

Si faeces ſubnigrae ſunt, et inſcio aegroto elabuntur, atque, provectiore morbo, ſingultu atque vomitu ſtipantur; ad hoc, ſi dolor ſimul ſitiſque cedant, pulſus parvus et irregularis fiat, convulſioneſque incidant, inteſtina veriſimiliter gangraena afficiuntur.

Ingruens delirium, aphthae in faucibus ſeſe oſtendentes, oeſophagi paralyſis, extremorum algor, anxietas, convulſioneſque inſignes, maximum periculum praeſagiunt.

Enematum ſtatim antea injectorum dejectio, quippe quae ſtatum paralyticum ſphincteris ani indicat, ſymptoma inſauſtum habetur.

Periculum quoque, anum ſpaſmodice ac violenter conſtrictum, portendere dicitur.

METHODUS MEDENDI.

Hujus morbi curationem ad tria consilia redigi vellem, scilicet,

1mo, Febrem tollere vel moderari.

2do, Intestina scybalis, rebusque acribus, atque constrictionibus liberare.

3tio, Intestinorum irritabilitatem diminuere, atque tonum firmare.

Primo consilio, remedia febris naturae morbum comitantis accommodata adhiberi debent.

Si febris forma sit inflammatoria, mittendus est sanguis, pro vi symptomatum, corporis aegroti habitu, morbique natura.

Si

Si intermittens vel remittens ſit febris, primis viis evacuatis, purgatiſque inteſtinis, ad corticis Peruviani uſum protinus decurrendum. Si febris, uti magis ſolet, proclivitatem ad putredinem oſtendit, ventriculo et inteſtinis imprimis exoneratis, ad corticis Peruviani Vinique exhibitionem confugere oportet.

Emetica, cujuſcunque generis ſit febris, idonea, ſaepeque, ſi ad ea initio fuerit decurſum plenis doſibus exhibita, egregie proſunt. Ad hunc effectum edendum, Tartarus emeticus, prae omnibus aliis, accommodatur; ſed Vitrum Ceratum Antimonii, quia actionem minus certam habet, quanquam Equitis Joannis Pringle auctoritate ſpectabili ſancitum, penitus improbo.

Ad ſecundum conſilium accommodantur Purgantia, quorum plerumque leniora petenda, et remedia topica; his potiſſimum, ut credere fas eſt, morbus in exitum fauſtum perducendus.

Emetica,

Emetica, parvis in portionibus ſaepiſſime exhibita fuere, et cum purgando agunt, propterea quod excretionem cuticularem promovent, et curſum humorum forſan, inteſtina verſus factum, alio vertunt, medicamentis, quorum effectus ſolus et ſolitus eſt purgare, praeſtare videntur.

Ipecacoanha, cum primum in materiam medicam fuit recepta, hoc in morbo maxime efficax habebatur, ac, etiamſi praxi recentiorum temporum abolita, nihilominus feliciſſimo cum eventu adhibetur ; huic autem, Tartarus Emeticus, quia certius ad inteſtina tendit, magiſque commode in portionibus parvis dari poteſt, anteferendus.

Emetica doſibus utcunque plenis data, faeces induratas evacuare non poſſunt, itaque Purgantia, quae effectum ſuum immediate edunt, admoveantur ; horum, Oleum Ricini, Cryſtalli Tartari, Decoctum Tamarindorum, Solutio Mannae, Sales Medii, &c. parvis in doſibus repetitis, uſquedum operari

rari inceperint, Rhabarbaro longe praeſtant; namque hoc, praeſertim ſub morbi initium, quippe quod in operatione ſua peragenda lentum, et torminibus ſtipatur, atque, purgatione facta, alvum aſtrictam relinquit, judicio noſtro, minime idoneum eſt; quam ob cauſam id (uti ſolebat dari Equite Joanne Pringle) ſiquando adhibitum, doſibus ſit in largis, cuidam purganti alii, quali Mercurio dulci, &c. admiſtum.

Manentibus torminibus et teneſmo, purgans quotidie adminiſtrari debet; nec aequo jure ex alvi dejectionum numero, ac faecibus naturalibus copioſe evacuatis, atque ope allata, judicare poſſumus de neceſſitate medicamenti repetendi; prout receſſerint ſymptomata, doſis paulatim diminui, ut et minus frequenter repeti debet, donec morbus videatur nullus; tunc etiam, non inutilia quaſi negligenda, niſi acceſſerit diarrhoea, quae purgantium uſum prohiberet; quin et alvus leniter mota, ne convaleſcens

lescens in morbum relabatur, uti saepe fit, efficaciter obstare dicitur.

Enemata fortasse, ad constrictiones intestinorum laxandas conducendo, nonnunquam utilia fuere, utilitas tamen purgangantium major; interdum autem enemata purgantium actionem excitando profuere. Clysmata stimulantia, si ad colon evaçuandum minus pollent, rectum stimulatione nimia laedunt. Lotiones mucilaginosae vel oleosae torminibus interdum succurrere visae sunt; sed huic consilio melius accommodantur lotiones anodynae, quae fructum majorem quam opium, quovis modo alio usurpatum, edere reperiuntur.

Fomenta abdomini et semicupium in aliquantum temporis admota, ad tormina tollenda, et intestinorum constrictiones aliquatenus solvendas, maximo usui sunt; necnon prosunt vesicatoria hypogastrio admota.

Postquam,

Poſtquam, provectiore morbo, plurima putredinis ſymptomata ſe oſtendunt, antiſeptica, qualia cortex Peruvianus, Vinum, Acida mitia, et Subſtantiae Aceſcentes, conveniunt. Aſt, Cullenus celeberrimus, aciditatem ventriculo morbidam ineſſe notat, cum morbus ad ſtadium provectum pervenerit; quam ob cauſam, aceſcentibus caute uti oportet.

Potiones mucilaginoſae, mixturaeque oleoſae, tunicas inteſtinorum internas oblinendo, prodeſſe poſſunt, et haec largiter ſumpta, plerumque laxantia evadunt.

Conſilium tertium, Opiatorum, Aſtringentium, et Tonicorum uſu, exequendum eſt.

Etſi Opiatorum uſus internus, morbo fere incipiente, propter graves dolores quibus ſtipatur, quos ad tollendos ea ſunt efficaciſſima, indicari videatur; actionem tamen in inte-

ſtinis

ſtinis parvis impediendo, conſtrictionem coli promovent, itaque morbum adaugent.

Praxis recentior, quae a Sydenhamiana differt, opiata, ante evacuationes praecedentes adhibita, opem modo temporaneam ferre, morbo poſtea majore cum vi redeunte, probavit; caeterum, cum bene evacuata fuere inteſtina, nil quam opium eorum irritabilitatem efficacius imminuet; cujus ideo magnopere prodeſt uſus, doſibus ſaepius, pro ſymptomatum violentia exhibendis: Poſtquam, quibuſdam ſeptimanis interjectis, vis febris imminuta, evacuationes liberae ſunt factae, morbuſque quaſi chronicus evadit, rationes alias tentare cogimur.

Morbum, remediis roborantibus, leniterque aſtringentibus, tonum inteſtinorum firmando, tunc optime tractabimus, ac interdum iis opiata admiſcere opus erit; at interea alvum laxantibus mitibus movendi cura eſſe debet.

Aſtrin-

Aſtringentia, quae plurimum pollere dicuntur, haec ſunt, decoctum ligni Campechenſis, decoct. cort. caſcarillae, decoct. verbaſci, infuſio terrae Japonicae, pulvis corticis Peruviani, cortex granati, cortex quernus, radix columbo, aqua calcis ſimplex, &c.

Aſtringentia foſſilia, quia inteſtina ſtimulare reperta ſunt, in hoc morbo raro uſurpantur.

Eques Joannes Pringle teſtatur, hoc in morbi ſtadio doſes ipecacoanhae parvas, opio admiſtae, plurimum prodeſſe.

Si morbum diarrhoea excipiat, purgantibus neglectis, aſtringentibus quae ſupra memoravimus opiatiſque uti oportet.

REGIMEN.

Aër purus libere admiſſus, aegroto frigore non nimis objecto, admodum neceſſarius eſt, ſcilicet, qui et ad ſingulorum aegrotantium ſanationem plurimum conferat, et ſimul impediat ne maligniore contagione morbus reliquos prehendat. Cibus generis leviſſimi, et ex parte maxima mucilaginoſi, aegrotanti ſubminiſtrari debet, ad priſtinum victus regimen paulatim redeunti.

Liquores hordeacei fermentati vitandi ſunt; pro his ſeminis lini, vel oryzae, vel hordei Gallici infuſiones uſurpandae, quae omnes, ne tormina efficiant, tepidae eſſe debent.

Quoniam, ab hujus morbi impetu convaleſcentes, maxime relabi periclitantur, illis

illis de diaeta ſedulo eſt cavendum; oleribus, fructibus omnibus, liquoribus hordeaceis et acidis obſtineant. Induſio laneo ſemet a frigore defendant.

Poſtquam morbum nullum videre eſt, in uſu maneat cortex Peruvianus, qui una cum balneo frigido et exercitatione idonea brevi corporis tonum reſtituet.

Iis, quae de dyſenteria dicere volui memoratis, huic diſſertationi prius finem imponere nequeo, quam Profeſſoribus doctiſſimis, a quibus omnem ſcientiam medicam meam accepi, grates optime meritas perſolvero; Doct. Cullen ingenuoſiſſimo debentur plurimae; abſit ut ingratus ſilentio praeteream quam Profeſſoribus eruditiſſimis Doct. Monro et Gregory ſum devinctus, non modo ob beneficia mihi eorum praelectionibus auſcultanti accepta, ſed ob curam mei quoque aſſiduam, morbo graviſſimo colluctantis; quae omnia, dum memor ipſe mei, grato animo recordabor.

FINIS.